



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Qualia sint Calvinistarum templa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

Ludovicus Borbonius Princeps Condæus, sacrilegorum impetum quantum potuit inhibuit: quæque teterrimum nebuloam in ipso recto plumbeas laminas auro obductas effringentem, & Stentorea voce illud, *Sic destruetur Babylon*, intonantem, vidisset, colubrinam contra eum dirigi iussit, atque ita cœptum omittere coegit. Quum vero plebis furor, secretis Beæ exhortationibus accensus, ne sic quidem restingui posset, porta templi muro ducto obstructa fuerunt. Nocturni nihilominus homines scelerati per fenestras irreperentes columnarum quibus templum innitebatur fundamenta emoliri sunt, sicque grande illud & admirabile ædificiū una nocte corruit quod post quadraginta circiter annos sub Magno illo Henrico IV. quem Miraculorum Regem merito quis appelleret, multo magnificentius restaurari cœpit. Nolo hic quæ plurima passim occurrunt, funesta Calvinianæ impietatis vestigia, templorum ac monasteriorum ruinas, sed eorum in quibus ipsi religionis suæ cultum exercent, templorum atque ædium formam Lectori ob oculos ponere.

II. Exteriorem quidem Calvinisticorum templorum structuram, eorumque ornamenta, multis describere haud attinet: siquidem loco magnificentorum ædificiorum, quæ antiquitus diuino cultui consecrata sunt, homines isti macellis, pecorum lanienæ destinatis utuntur, quasi augurantes horrendas illas, ædes ac lanienas quibus conciones eiusmodi occasionem dederunt. Quod si horrei sit copia præclare secum actum purant; neque vlla adhibent ornamenta vel aulæ, nisi illa ex aranearum filis contexta Concione finita, ibidem rursus omnis generis bestiarum stabulantur. Hæc ipsorum, templa, hæc oratoria fuerunt sine aëris, sine vilo sacrificio. Aiebant vero Deo non minus placere orationem in stramentitia casula aut quocumque alio gurgustio quam sub aurato laqueari effusam. Ministro vix è suggestu digresso, hic lagenam, ille pernam, alius aliud depromit; atque ita ex domo orationis repente caupona fit. Sed ô cæcos ac dementatos homines! qui nec sordes istorum Ministrorum, qui Catholicæ Ecclesiæ pulchritudine tam turpiter vos spoliarunt, videtis, nec tam spurcæ religionis sentinam sentitis.

III. In eo tamen, quod tam vilibus, locis Ministerium vestrum exercetis, excusari hæcenus poteratis, quam diu meti ignis, quem hæreticis paræum esse scitis, delitescendum vobis fuit. Nam

& primi Christiani olim secreta loca, ut vos iam horrea & stabula, caribus suis obeundis querebant. Quod vero etiam nunc postquam lucem ferre didicit hæresis, fordida nihilominus ac profana loca quasi de industria sacris suis (demus hoc nomen profano cultui) seligit, atheismi certe atque impietatis ream manifeste se facit, ipsamque religionem summo contemui exponit. In Sanctonibus quum aliquando essem (quam prouinciam homines isti magna ex parte tum occupant) meminimus totam fere Nobilitatem ad audiendum *Verbum Dei* (sic dicebant) ad magnatis cuiusdam artem confluisse: qui rogatus, ubi concionem haberi vellet an in atrio vel carnaculo? (quod amplissimum ibi erat) Nequaquam inquit; sed in horreo. Mox ergo sella ponitur, mensa sternitur, cui assidens Minister, ad auditores verba faciebat. Vix finierat, quum præclarum illud templum multis & equis repletur. Roganti mihi, cur non honestiorem aliquem locum Deo eiusque cultui eligent respondebant, Deum non ædificiorum elegantiam, sed cordium puritatem in se colendo à nobis requirere. Hos ergo si audias, stulte fecisse primos Christianos diceas, qui in honorem Dei tam sumtuosa templa auro collucentia edificarunt; ut Lucianus, non Christianæ modo, sed & omnium religionum subsannator, restatur. Stulte ergo fecit Constantinus Magnus, qui Constantinopolitani, Antiochiæ, Nicomædiæ, atque etiam Hierosolymis tam pulchra ac magnifica templa extruxit, & aulæ acupictis auroque rigentibus exornauit. ut & Constans Imperator, Opratus contra Donatistas scribit Chrysostrami libros legenti occurrent altaria auro radiantibus peristromatis instrata, pavimenta marmorea, parietes aulæ fulgentes, aurata laquearia, ipsæ ædes aureis & argenteis lychnis collucentes; ut merito illud sæculum Ecclesiæ Aureum dici possit. Et tamen deformati nostri dicere audent, hæc omnia superstitionem sapere atque omnino esse superflua, magisque suam laudandam esse simplicitatem.

IV. In magnificis hisce Deformatorum auditorijs scamna cernuntur, ad eum modum quo in scholasticorum collegiorum classibus, in quibus auditores sine vilo ordine consistunt. Ingredientes feminis quas forte conspexerint honorem exhibent; Deo nullum. Eadem reuerentia nomen Iesu & Iesuitæ excipitur. Nusquam videas vllum genu flexi. Quod si quis forte fecerit, statim Ad Papistas facessere iubetur. Horum utpote non tam acutorum homi-